

exceptis cathedralibus Germaniæ, ubi servatur vetus consuetudo canonice electionis, ut Collegium Canonico- rum Cathedralium Episcopos, vel Archiepiscopos eligat, & electi à Romano Pontifice confirmantur, ut clare ostendunt concordata Germaniæ, & cum pluribus aliis observat Barbosa *loc. cit.* Electio Episcopi faciendâ non est ante diem tertium à morte Episcopi; *cap. Nul- lus 7. dist. 79.*

10 Electus in Episcopum debet intra mensem à præsentatione electionis præstare consensum, aliâ mense elapso redditur nulla electio textu expresso in *cap. Quam sit de elect. in 6. ibi:* "Electus vero illum (scilicet consensum) adhibere infra mensem à tempore præsentationis hujusmodi teneatur, quem si electus ipse ultra præsentationem distulerit, jure, si quod ex sua electione fuerat acquisitum, ex tunc se noverit eo ipso privatum." Et intra tres menses à consensu præstito debet petere confirmationem, aliâ elapsis tribus mensibus electio eo ipso est nulla, textu expresso in *cit. cap. Quam sit 6. de election. in 6. ibi:* "Ceterum quivis electus infra tres menses post consensum electionis de se celebratæ præstitum, confirmationem electionis ipsius petere non omittat. Quod si justo impedimento cessante infra hujusmodi trimestre tempus omiserit, electio eadem eo ipso viribus vacuetur." Sufficeret tamen ad evadendam talem penam, quod electi amicus ejus nomine confirmationem peteret, quamvis sine mandato, dummodo tamen electus ratam haberet illam amici petitionem intra illos tres menses; *Gloss. in cit. cap. Quam sit verb. Petere 1. Tiraquell. de penis tempor. causa 22. num. 37. Azor. part. 2. cap. 29. quest. 1. Barbosa. de offic. & potest. Episcop. part. 1. cap. 4. num. 4.* Tres menses computari debent prout in Calendario occurrunt, incipiendo scilicet à die præstiti consensu, & dies qui desunt ex uno mense accipiuntur de sequenti; *Glossa in cit. cap. Quam sit, verb. mensem 1. Gonzal. ad reg. 8. Cancellar. gloss. 11. num. 7. Garzias de beneficio. part. 10. cap. 2. num. 42. & seq. Menoch. de arbit. caus. 50. num. 21. Sanchez de matrim. lib. 2. disp. 24. num. 15. Barbosa. lib. 1. Juris eccles. univers. cap. 9. num. 4. & de offic. & potest. Episcop. loc. cit. num. 2.*

14 Confirmatio Episcoporum olim poterat fieri à suis respective Metropolitanis; *cap. Quoniam 1. dist. 100. cap. Cum dilectus 32. de elect. Hodie tamen non ab alio, quam à Romano Pontifice fieri potest ex regula 2. aliâ 3. Cancellaria, quæ Sedi Apostolicæ reservat provisiones omnium Cathedralium. Et licet in Germania ex vi concordati Episcopi adhuc eligantur à collegiis Canonico- rum Cathedralium, Romani tamen Pontificis auctoritate confirmantur. Sicut etiam confirmantur, & instituntur à Romano Pontifice Episcopi illi, qui vi privilegiorum apostolicorum à regibus & principibus nominantur, & designantur; *Azor. part. 2. cap. 20. q. 1. & 2. Barbosa. lib. 1. Juris eccles. cap. 9. n. 9. & de offic. & potest. Episcop. tit. 1. cap. 4. num. 6.* Pro hujusmodi electione, & confirmatione faciendâ servatur in curia sequens praxis. Formato processu de vita, & moribus promovendi, ac de statu ecclesiæ juxta interrogatoria in particulari instructione tradita à Barbosa *l. 1. Juris eccles. univers. cap. 8. d. num. 141. & de offic. & potest. Episcop. part. 1. tit. 1. cap. 5. d. num. 4.* fit ab ipso professio Fidei juxta formulam præscriptam à Pio IV. in sua constitutione incipient. In Sacrosancta, & deinde fit instrumentum dictæ professionis Fidei à Notario suscriptum in hunc modum; prout ad literam tradit Barbosa. *d. l. 1. cap. 9. num. 11. & seq.**

17 "In nomine Domini Amen. Presenti publico instrumento cunctis ubique pateat evidenter, & sit notum: Quod Nativitate Domini, &c. coram Eminentissimo & Reverendissimo D. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinali &c. meque Notario publico infrascripto comparuit supradictus adm. R. N. omni meliori modo &c. genibus flexis professionem Sanctæ & Catholicæ Fidei juxta suprascriptam formam tactis sacrosanctis scripturis ad sancta Dei Evangelia in manibus D. S. Eminentissimæ de verbo ad verbum emisit. Quam fidei professionem, idem Eminentissimus

& Reverendissimus D. Cardinalis accepit, & admisit præmissis, & aliâ omni meliori modo. Super quibus &c. Actum Romæ in offic. &c. Presentibus ibidem N. & N. testibus ad præmissa vocatis, habitis specialiter, atque rogatis. Ego Adoandus Thibaldescus, Clericus Spoletanæ diocesis Publicus apostolica auctoritate Notarius, & ad scribendos, & rogandos processus Reverendissimorum D. D. Archiepiscoporum & Monasterium Consistorialium privative quoad omnes alios specialiter à S. S. A. deputatus de præmissis rogatus præsens instrumentum subscripsi & publicavi requisitus." Et subscribitur Cardinalis relator sic, Ego N. S. R. E. Presbyter Cardinalis N. Fidei professionem à supradicto R. N. de verbo ad verbum in manibus meis nemissam recepi, & ita testor."

18 Finito examine testium, & emissa professione subscribitur processus ad eodem Cardinali Ponente in hunc modum: "Ego N. S. R. E. Presbyter Cardinalis N. relationem facturum in proximo Consistorio de præmissis censo R. N. esse habilem & idoneum qui ad supradictam ecclesiam N. promovetur, illum et præficiendo Episcopum & pastorem; Romæ ex nostro Prælatio, die &c. Ego N. Cardinal. N. qui supra." Et subscribitur idem processus à tribus Cardinalibus Ordinum Capitibus, scilicet à primo Cardinali Episcopo, à primo Cardinali Presbytero, & à primo Cardinali Diacono.

Hoc factio præconizatio fit in primo Consistorio, quæ vicem electionis habet cuius præconizatio formula pro Romano Pontifice sic se habet: *Beatissime Pater. Venerabilis ecclesia N. per obitum N. Scilicet Ad justum Sanctitatis Vestre. Ego N. Cardinal. N. proponam R. N. Scilicet civitatis, &c. Pro Cardinali autem ita fit: Illustris, & R. D. In proximo consistorio si S. D. N. placuerit, Ego N. Cardinal. N. præconizatio faciam ecclesie N. vacantis per obitum N. in personam R. N. Scilicet civitatis, &c. referetur status ecclesiæ, & promovendi juxta formam Institutionis prædictæ.*

Fit postura in secundo Consistorio, & transmittitur schedula pro reassumptione posituræ, transmissa in prima præconizatione, & hæc secunda præconizatio habet vim confirmationis, & demum transmittitur fides provisionis apostolicæ à Cardinale Ponente ad Cardinalem Vicecancellarium facta in hunc modum: "Reverendis. Domine. Hodie Sanctissimus in Christo Pater & D. N. D. Urbanus Papa VIII. in suo Consistorio secreto, ut moris est, ad relationem meam Ecclesiæ N. cui N. dum viveret, præsidebat, & per obitum ejusdem pastoris solatio destituta de persona R. N. discretis N. ex catholicis, ac honestis parentibus, & legitimo matrimonio nati, in utroque Jure Doctoris, in ætate legitima constituit, ac demum ceteris omnibus qualitatibus à Jure, & Concil. Trident. decretis requisitis præditi, qui professionem Fidei juxta articulos præditi à Sede Ap. propositos in manibus meis solemniter emisit, de Reverendis. D. D. meorum Cardinalium consilio, apostolica auctoritate providit, ipsaque illi in Episcopum præfexit, & pastorem curiam, regimen & administrationem ipsius ecclesiæ sibi in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo, absolvens eundem R. N. electum à censuris ad effectum, &c. In quorum fidem præsentem schedulam fieri, & mei parvi soliti sigilli impressione muniti jussi, eamque propria manu subscripsi. Datum Romæ in aedibus meæ solatiæ residentie, sub anno &c. D. V. S. Humillimus Servus N. Cardinalis N."

Electus & canonice confirmatus tenetur intra tres menses à die confirmationis munus consecrationis suas suscipere sub pena amissionis fructuum, etiamsi sit S. R. E. Cardinalis, & si intra tres alios menses id non impleverit, ecclesia, & Episcopum ipso jure privatur. Quoniam 2. dist. 75. c. Quoniam 1. dist. 109. & Concil. Trid. sess. 7. de reform. cap. 9. & sess. 23. eadem de reform. cap. 2. ibi: "Ecclesie cathedralium, seu superioribus quocumque nomine, ac titulo præficti, etiamsi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sint, si munus consecrationis intra tres menses non susceperint, ad fructuum

perceptorum restitutionem teneantur, & si intra totidem menses postea id facere neglexerint, ecclesiis ipso Jure sint privati." Dicitur trimestre tempus, infra quod Episcopus confirmatus debet munus consecrationis accipere, incipit currere à tempore habitæ notitiæ confirmationis de sua electione facta. *Glossa in cap. Cum in cunctis 5. Cum vero, verb. tempore, de elect. Sanchez in opuscul. moral. lib. 1. cap. 1. dub. 15. num. 13. Flamin. de resign. lib. 7. quest. 1. num. 92. Barbosa. lib. 1. Juris eccles. univers. cap. 9. num. 34. & de off. & potest. Episcop. part. 1. tit. 1. cap. 5. num. 2. & part. 2. allegat. 2. num. 40.*

23 Consecratio Episcopi debet fieri die Dominica; *cap. Qui in aliquo 5. dist. 51. cap. Ordinationes 1. & cap. Quod die Dominico 5. d. 75.* Consecratio Episcopi non debet fieri à minori numero, quam trium Episcoporum, saltem necessitate præcepti; *cap. Episcopus cum ordinari 7. dist. 23. cap. Episcopi 1. c. Comprovinciales 4. cap. Episcopus 7. dist. 64. cap. Porro, dist. 66. cap. Si Archiepiscopus 6. & cap. Nec Episcopi 7. de temporibus ordinationum.* Et si in provincia non adsint tot Episcopi, accersendi sunt ex vicina provincia, textu expresso in *cap. Si forte 9. dist. 65.* Valida tamen est consecratio Episcopi facta ab uno solo Episcopo ex dispensatione apostolica assistentibus duobus Sacerdotibus, ut constat ex praxi S. Gregorii Magni, Gregorii III. & S. Pii V. quam confirmavit Innocentius X. & Alexander VII. uti referunt ac docent Allatus de concord. eccles. Occid. & Orient. lib. 5. cap. 7. §. ultimo. Schilder. tom. 2. num. 117. Stephanus tom. 5. d. 7. num. 2. Cardan. in 2. Cris. dissert. 2. num. 502. Gomez de Sacrament. d. 5. num. 519. & late Pignatelli. tom. 1. consult. 182. Barbosa. lib. 1. Jur. eccles. univers. cap. 9. num. 51. & de facto Fagnan. lib. 1. Decretal. in cap. Nec episcopi 7. de temporibus ordinationum num. 10. in fine, refert quod hodie in literis pro consecratione Episcopi in Indiis apponitur clausula infrascripta videlicet: "Tibi Presbytero, ut à quocumque malueris Catholico Antistite gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habente, accitis, & in hoc illi assistentibus duobus, vel tribus dignitatibus, munus consecrationis recipere valeas &c."

27 Ipse tamen Fagnanus *loc. cit. num. 3. & 9. & in cap. Requisivit 1. de Ordinariis ab Episcopo, qui renuntiavit episcopatu num. 86.* tenet quod consecratio Episcopi necessario faciendâ est à tribus Episcopis ex necessitate Sacramenti, & est ita de substantia, ut à paucioribus facta non tenet; & plures tamen Canonistas, tum Theologos pro se adducit, & sacros canones cumulat, & dicit, quod non est Episcopus, qui minus quam à tribus, auctoritate etiam Metropolitanâ, factus est Episcopus, afferens epistolam Joannis III. ad Episcopos Germaniæ, & Galliæ, quæ habetur tom. 2. Concil. part. 2. pag. 250. col. 2. tit. D. ubi sic legitur: *Omnino quocumque maxime Concilia affirmant, cum non esse Episcopum, qui minus, quam à tribus Episcopis, auctoritate etiam Metropolitanâ fuerit factus Episcopus, ideoque illos, quos Chorepiscopos vocatis, qui ab uno, ut audivimus, sunt Episcopo, Episcopus non esse, nec aliquid de pontificali privilegio agere debere perspiciunt est; & cap. Porro 2. dist. 66. ibi: Porro & Hierosolymitanus primus Archiepiscopus Beatus Jacobus; qui Juxta dicebatur, & secundum carnem frater Domini nuncupatus est, à Petro, Jacobo & Joanne Apostolis est ordinatus, successibus suis formam dantibus, videlicet, ut minus, quam à tribus Episcopis, reliquitque omnibus assensum præbentibus, nullatenus Episcopus ordinatur. (Lit. A. pag. 217. vers. Vis.)* Potest autem Papa immutare hanc formam tamquam traditam ab Apostolis; Archid. in dict. c. Porro. Geminian. quia non est Juris divini forma. Præp. Card. in dict. cap. Porro, & expensis in cap. Archiepiscopus 1. dist. 66. Et Papa solus ordinando videtur dispensare super tali forma, Card. Præposit. in dict. cap. Porro. Sic Fagnan. in cit. c. Neque Episcopi 7. de temporibus Ordinar. n. 9. & 10. ubi dicit, hæc reperisse in libris publicis Sacre Congregationis Concilii adnotata manu bone mem. Card. Alicantis illius Præficti ad sess. 7. c. 9.

Consecrandus in Episcopum debet necessario prius esse Sacerdos, adeo ut si sacerdotium non preceserit, invalida sit ordinis episcopalis collatio; *arg. cap. Ex literis X. de excessibus Prælator. ibi: Cum igitur pontificale officium sine altaris ministerio non valeat adimpleri; cap. Osius X. dist. 61. ibi: sed non eligitur aliquis (scilicet Episcopus) nisi in Sacris Ordinibus constitutus, & tenet Glossa fin. in cap. unico de Clerico per saltum promotio, S. Thom. in 4. sentent. dist. 24. q. 1. art. 2. Hugo, & Archid. in cap. Sollicitudo 1. dist. 72. Raymund. in cap. Gratia 2. quest. 1. ubi dicit hujus opinionis esse fere omnes Doctores, ut refert Turrescremata eandem opinionem sequutus in dict. cap. Sollicitudo num. 4. Sylvester verb. Ordo 2. num. 1. Borg. de irregular. part. 5. rub. de Clerico per saltum promotio num. 5. Majol. de irregular. lib. 4. cap. 12. num. 3. Henriquez in summa lib. 10. cap. 7. §. 1. Azor. part. 2. lib. 3. capite 30. question. 9. Emmanuel Sâ verb. Ordo num. 25. Suarez tom. 5. de Censuris disp. 50. num. 57. Bonacin. de Censur. extra Bullam dispensat. 3. quest. 1. punct. 2. num. 7. Aversa quest. 1. sect. 6. La Croix lib. 6. part. 2. num. 2210. Fagnan. l. 1. Decretal. in cap. Requisivit 1. de ordinariis ab Episcopo, qui renuntiavit n. 155. & 81. 82. Et ratio est, quia actus principalis Episcopi est ordinare Sacerdotes; *cap. Cleros 1. dist. 21. cap. Quamvis 4. dist. 68.* potestatem autem exercendi hujusmodi actum non potest Episcopus in sua consecratione accipere, nisi etiam sit Sacerdos, cum nequeat alteri conferre Ordinem Sacerdotalem, quem non habet secundum Innocent. in cap. Quanto, de consecratione; Sylvester in verb. Ordo 1. num. 1. vers. sed si sit Sacerdos; Fagnan. l. 1. cap. num. 83. alioque &c. Multi tamen tenent, validam esse collationem Ordinis episcopalis, licet ordinatus non sit Sacerdos, ita Abbas in cap. unico, de Clerico per saltum promotio num. 5. vers. Quod secundum; *Glossa in c. Sollicitudo 1. dist. 72. ubi dicit, quod si laicus ordinetur Episcopus, bene recipere characterem, Joann. Andreas Ancharan. Covarrubias, & alii, quos citat, & sequitur Barbosa de offic. & potest. Episcop. part. 2. allegat. 1. num. 38.**

In contrarium sententiam declinavit Clarus. Mazzillonius in Comment. prævio ad Ordinem Romanum §. 18. plures Romanos Pontifices asserens, qui à Diaconatu immediate in Episcopos fuerunt ordinati; Hæc sententia subscribit Clar. Franciscus Pagi, Breviar. RR. PP. in Sabiniâno à num. II. ad VI. & in Constantino Antipapa num. I.

Ceterum Benedicto XIV. in epistola ad Carolum electum Episcopum Justinopolitanum, in postremo 20. Octobris 1756. * X. subscribit Morino, & Junien asserentes nullum extare exemplum Episcopatus non Presbytero collati.

Ante consecrationem non potest Episcopus exercere ea, quæ sunt Ordinis, sed tantum ea, quæ sunt Jurisdictionis, *cap. transmissam 15. de election. Fagnan. lib. 3. Decretal. in cap. Nullus, de Parochis num. 5.* Non consecratus Ordines conferre non potest; *c. Transmissam 15. ubi Glossa in verb. de talibus, & cap. Quod sicut 78. de election. Fagnan. lib. 1. Decretal. in cap. Quando 4. de consuetud. num. 26.* Potestatem enim conferendi Ordines accipiunt Episcopi in consecratione, & Quamvis 4. cap. Chorescopi 5. dist. 68. cap. Transmissam 15. & cap. Quod sicut 28. de election. Fagnan. lib. 1. Decretal. in cap. Statutum 1. de supplend. negligenti. Prælator. num. 19. Potestas, quæ confertur Episcopo per consecrationem, est indelebilis, nec potest ab ecclesia auferri, unde remanet in Episcopo etiam excommunicato, hæretico, deposito, & degradato; *cap. Ordinationes 9. quest. 1. cap. Quod quidem 1. quest. 1. cap. Ostenditur, & ibi Archid. dist. 4. de consecr. cap. unico, cum ibi notatis, de ordinatis ab Episcopo, qui renuntiavit episcopatu; cap. 2. vers. Sicut enim Episcopus, de translatione Episcopatu. S. Thom. 2. 2. quest. 39. art. 3. Sylvester, verb. Degradatio num. 9. Fagnan. in cit. cap. Statutum num. 8. & alii passim. Jurisdictionem accipit Episcopus in confirmatione, etiam ante consecrationem, unde Episcopus confirmatus, licet nondum*

dum consecratus, potest excommunicare, suspendere, interdicare, visitare, corrigere, episcopos, synodum convocare, beneficia conferre, ecclesias minores coniungere, annectere, dividere, voti & iurandi vincula solvere, quorundam peccatorum absolutionem sibi reservare, & huiusmodi; *cap. Transmissam 15. de elect. & Glossa ib. verb. de talibus, & arg. cap. Nosti 9. & cap. Qualiter 19. de election. & cap. Inter corporalia 2. de traslation. Episc. Barbosa de Offic. & potest. Episc. part. 1. tit. 1. cap. 4. num. 7. Fagnan. in cit. cap. Statutum num. 21. & alii communiter. Episcopus electus, & confirmatus ante consecrationem potest concedere indulgentias. Sic communiter Doctores cum S. Thoma in 4. dist. 20. art. 3. quest. 2. ad primum, & ibid. art. 4. quest. 2. in corpore, ibi: Potestas concedendi indulgentias sequitur jurisdictionem; & quia Diaconi, & alii non Sacerdotes possunt habere jurisdictionem, vel commissam, sicut Legati, vel Ordinarii, sicut electi, ideo possunt indulgentias concedere, etiam non Sacerdotes, quamvis non possint absolvere in foro penitentiali, quod est Ordinis: quae Divi Thomae Doctrina communiter recipitur, teste Navar. in tract. de indulgent. in 31. notab. vers. Possunt autem hi conferre etiam non sint in Episcopos consecrati. Fagnanus lib. 5. Decretal. in cap. Accedentibus 12. de excessibus Praelatorum. num. 10. & seg. Barbosa de off. & potest. Episcop. part. 3. allegat. 88. num. 7. cum plurimis aliis ibi citatis.*

38 Episcopi appellatione venit tantum consecratus in concernentibus exercitium, & decorem ordinis episcopalis; *cap. Transmissum 15. de election. cum ibi notatis; & tradit Butrius in consil. 19. Quia hic agitur cum aliis congestis à Felino in cap. Eam te 7. de rescriptis num. 1. col. 3. in princip. v. Et ideo dicit Butrius,*

39 & Fagnan. in dist. cap. Eam te num. 38. In concernentibus autem Jurisdictionem episcopalem venit etiam electus, confirmatus, vel provisor per Papam, quia cum hac competat etiam electo confirmato. *ex cap. Transmissam 15. de election. & Glossa ibidem verb. de talibus; & ex adductis supra num. 15. ideo dispositio loquens de Episcopo, verificatur etiam in electo confirmato, seu proviso, licet non consecrato, ut notat Glossa in clementi. 1. verb. Episcopi; & ibi Abbas num. 2. de foro competent. Fagnan loc. cit. num. 39. cum aliis ibi à se citatis.* Episcopi appellatione venit etiam nondum consecratus in materia proportionabili, tam confirmato, quam consecrato. *Fagnan lib. 5. Decretal. cap. Quod nonnullis 25. de privileg. num. 23. & alii ibi citatis. Provisio, seu pronuntiatio Papae in Consistorio habet vim electionis, & confirmationis; Innocent. in cap. Cum olim in princip. de caus. posses. & proprietat. Glossa in cap. 1. verb. Provisionem; de election. in 6. ubi quod Papa providendo eligit, & confirmat; Abbas in cap. Tota, de his, quae sunt à Praelatis num. 2. & in cap. Cum in cunctis, de elect. num. 2. Fagn. in cit. cap. Eam te 7. de rescript. num. 15. Provisi, seu pronuntiati à Papa in Consistorio appellantur promoti, etiam si nondum fuerint consecrati, Extravagant. Injuncte 1. de elect. inter Communes ibi: Qui apud dictam Sedem promoventur; & Concil. Tridentin. sess. 7. cap. 9. ibi: Ad majores ecclesias promoti manus consecrationis infra tempus à Jure statutum suscipiant. Fagn. loc. cit. num. 24. & 27. Provisi quamvis consecrati accedentes ad ecclesias ante levatas Bullas incidunt in penas dict. Extravagantis Injuncte 1. de election. inter commun. Sic Doctores communiter. Civitas interficiens sumum Episcopum consecratum privatur sede & dignitate episcopali, textu expresso in cap. Ita nos 24. cons. 25. q. 2.*

45 Non privatur tamen tali episcopali dignitate civitas interficiens Episcopum solum electum, & nondum consecratum, Bald. in leg. Si nondum; post princip. Cod. de furti. Felin. in dist. cap. Eam te 7. de rescriptis num. 1. vers. unde Baldus; Fagnan. ib. num. 17. Glossa in Clementi. Si quis suadente 1. de penis vers. Quamvis Pontificem; dicens, quod in materia poenali, uti est ista, appellatione Episcopi, vel Pontificis, non venit electus, & confirmatus, si nondum sit consecratus.

46 Cum consecratur Episcopus inungitur chrismate in

capite & manibus, quod si fuerit omissum, per tres Episcopos est supplendum, textu expresso in cap. Cum venisset 1. de sacra unctione, ibi: Cum venisset ad Apostolicam Sedem Bravarentis Episcopus, qui in consecratione sua sacram. non accepit unctionem, quoniam apud vos (Graecos) non contulerunt Pontifices, cum consecrantur, inungi; Nos, quod illi defuerat, mandavimus in ipso suppleri, facientes caput ejus, & manus per Alban. Episcopum (assistentibus ei duobus Episcopis secundum morem ecclesiasticum) sacro chrismate deliniri. Ungitur autem Episcopus in capite, ut declaratur eum esse caput, & principem ecclesiae suae; *cap. Cum venisset 1. de sacra unctione, Barbos. de off. & potest. Episcop. part. 1. tit. 1. cap. 5. num. 10. Reges vero non in capite, sed in humero unguuntur, primo, ut proprius honor sit illius, quem Deus constituit excelsum super omnes Reges terrae, & quem oleo laetitiae excellentius, & augustius unxit per consortibus suis. Deinde ut ostendatur quod primo ante omnes Reges, & Principes personae capitis pontificali officio representetur; Ungitur tamen & Rex in humero, ut neque ipse plane excludatur à representatione ejusdem capitis; nam & hujus principatus ut dicitur Ita. 9. factus fuit super humerum ejus, & ut sciat se esse ministrum ad portandam crucem Jesu Christi ad laudem bonorum, vindictam autem malorum, Apost. ad Roman. 13. Sic ad literam Barbosa loc. cit. num. 11. ex c. cum venisset 1. de Sacra unctione. §. 2. Ungitur Episcopus in manibus: ut sciat dignitatem non propter otium, sed propter negotium suscipere, & ut ostendatur accipere potestatem benedicendi, & consecrandi; *cap. cum venisset 1. de Sacra unctione, Barbosa loc. cit. num. 12. Annulus sacer novo Episcopo traditur, ut Sanctam Ecclesiam sponsam suam intemerata fide custodiat, Barbosa loc. cit. num. 15. Mitra deinde tamquam bicorni galea armatur novus Episcopus, ut intelligat, duo illius cornua, duo designare testamenta, anterius novum, posterius vetus, quae duo Episcopus debet memoriter scire, & illis tamquam duplici cornu Fidei inimicos ferire; Barbosa loc. cit. num. 18. Hyeronimus Violentius de Episcopis Titularibus part. 2. fol. 13. Traditur in manibus novi Episcopi baculus, quo non utitur Summus Pontifex; *cit. cap. Cum venisset 1. de Sacra unctione in fine. Et quare hoc? Vide verb. Baculus. Aia de istis vide apud Barbosam de off. & potest. Episcop. part. 1. tit. 1. cap. 5. & part. 2. allegat. 1. & Andream du Sansay in sua panoplia episcopali de sacro Episcoporum ornatu libros septem continens, in quorum primo arguit de mitra episcopalis antiquitate, in secundo de virga episcopali, vel pastorali baculo, in tertio de annulo episcopali, in quinto de chirothecis Episcoporum, in sexto de dalmatica, in septimo de compagis, & sandaliis Pontificum.***

* Episcopus electus & confirmatus consecrationem petere debet intra tres menses, sub poena amittendi fructus, atque etiam ecclesiam. Benedicimus XIV. tom. 2. const. 36. incip. Cum à nobis.*

** Episcopus an unquam factus fuerit diaconus non collato ipsi antea sacerdotali ordine, disputant Doctores, in contrarias opiniones abeunt. At non constat, nec probatur perspicue fuisse unquam Diaconum in Episcopum, vel Pontificem maximum consecratum, quin ordinem presbyteratus antea suscepit. Benedicimus XIV. tom. 4. const. 63. incip. In postremo §. 10. & seq. Episcopus eligi nequit, qui antea saltem sex mensium spatio non fuerit in Sacro Ordine constitutus. Idem ibid. §. 13. ex Concilio Trident. sess. 22. cap. 2. de Reformat. sic praecise statuente: Quicumque posthac ad ecclesias cathedrales erit assumendus, is non solum natalibus, etate & moribus, vita, ac aliis, quae à sacris canonibus requiruntur, plane sit praedius, verum etiam in Sacro Ordine antea saltem sex mensium spatio constitutus.

Episcopi consecratio ab uno ne, vel à tribus fieri necessario debeat, ut valeat, quamquam sit questio inter Theologos, cum tamen Pontifices consueverint in locis, ubi desunt Episcopi, ut ab uno tantum Episcopo consecratio ista fiat, facultatem concedere; hinc videtur probabilior sententia asserens unicum Episcopum

plum sufficere. Solent tamen Pontifices praecipere, ut Episcopi consecrati adjuvantur duo Abbates, vel duo Sacerdotes in dignitate ecclesiastica constituti. Ita pluribus allatis exemplis Benedicimus XIV. de Synodo dioeces. l. 13. cap. 13. §. 5. nov. edit. Ibi pariter decernitur, valere consecrationem Episcopi ab uno Antidite, uno tantum adjecto presbytero confecta; quae etsi nullus alius praeter consecratem assistat. *Ibid. lib. 7. c. 3. §. 9.*

57 Pactiones inite à Capitulo electore, & juratae ab Episcopis electis in Germania, ut sibi non liceat contra ipsos electores procedere, aut obistere officialibus Capituli, si quid egerint, & decreverint: pactiones inquam illae, si electionem praecedant, nullae omnino & irritae declarantur ab Innoc. XII. constit. incip. Ecclesiae Catholicae. Earum vero, quae subsequuntur, executionem suspendit, donec Sedes Apostolica iudicium de illis ferat; *ibid. §. 17. Haec vero pactiones veritae, & irritae censentur, etiamsi fuerint honestae, ut ex DD. ibid. §. 19. Insuper adunt ea de re literae apostolicae Bened. XIII. in forma brevis, legendae, ibid. §. 23.*

58 Aia de episcopali consecratione, vide verb. Consecratio d. num. 58. i. ad 4.

(Per hispanicas decisiones etiam aliquid demonstratur: per leg. 17. tit. 5. part. 1. quod intra tres menses à morte praelati, erat olim electio, praecedente missa Spiritus Sancti, faciendae: è converso jus ferendi suffragii amittebatur: ad minus in Subdiaconatus ordine constitutus debebat eligi, leg. 23. ejusd. tit. & p. se: ceterus vero postulandus leg. 24. facta electione leg. 27. tit. & part. jam citat. ad eum, cui de jure confirmatio competere, remittebatur: inani per eandem legem videitur, intra tres menses post factam electionem confirmationem, intraque tres alios sequentes consecrationem esse petendam: hanc fieri per tres Episcopos, vid. lib. A. pag. 217. in add. hisp. novis. Quod sit consecrandus in capite & manibus inungendus, & quare, Lex 12. tit. 4. part. 1. significat: asseritur per sequentem, tempore D. D. Alfonsi X. regis super humerum ad dorsum manus dexterae unguendi morem adhuc vigere. Si recognoscuntur quae verb. Beneficium, verb. Electio, praecipue art. 12. & verb. Papa, in addit. hisp. & novis. majorem claritatem hac materia obtinebunt.)

¶ Libet hic paucis à primordio ecclesiae historiam afferre electionis Episcoporum quod attinet ad eligentes.

59 Ipse Christus misit duodecim Apostolos in universum mundum, sicut eum miserat Pater suus. Apostoli vero primum omnium S. Mathiam ad vacantem episcopatum ex suspensio Judae proditoris elegere in prima synodo hierosolymitana. In electione hac turbam hominum fere 120. adfuisse erititur ex sacro textu.

60 Profecti Apostoli in diversas regiones consueverunt ad episcopale ministerium attollere primos cuiusque Urbis viros amplexos fidem evangelicam. Ab Apostolis vero creati, eorumque Successores Episcopi alios similiter constituerunt. Principio plebs vix praesentiam ac testimonium extendere teatavit ad suffragium.

61 Prima Synodus Nicæna Episcopis provinciae ad minus tribus in unum congregatis jus tribuit eligendi vacantis in ipsa provincia ecclesiae Episcopum, confirmatione Metropolitani reservata, solumque testimonium, & consensum populo reliquisse videtur.

62 A seculo IV. ad seculum nonum usque synodus provinciae consuevit Episcopos ordinare, nonnisi à Clero, & populo, vel postulat, vel electos unanimiter. Quod si in duas, pluresve personas eligentium suffragia scinderentur, praeferebat Metropolitani digniorem & ornatum majoribus suffragiis ac meritis.

63 Frequenta electionum dissidia in causa fuere, ut populi jura ad Principes tandem devolverent. Hi vero IX. seculo ad XII. seculum usque adorti sunt verarum electionum assentiendi jus in novam vertere formam inveniendi per anulum, & virgam, seu instuendi Episcopos auctoritate sua absque ullo decreto Judicio synodorum provincialium, & sine Metropolitanarum confirmatione. At eodem seculo IX. octava synodus oecumenica reprimere studuit recentem invasionem, sanxit

que, ne quis Principum Laicorum, & Potentium, se Episcoporum electioni ingereret. Gliscantibus autem in dies in oriente laicalibus Investituris Leo IX. Victor II. Stephanus X. Nicolaus II. Alexander II. B. Gregorius VII. alique Successores ecclesiasticam in ea re libertatem viis novis Conciliorum sanctionibus satagunt, nullus ut auderet Clericorum, aut Monachorum accipere de manu laici investituram ecclesiae vel beneficii. Seculo denum XII. abolendis reapse Investituris consentire Principes orti sunt pactis cum S. Sede convenis, quae dicitur Concordata.

Tunc itaque omnino desierunt suffragia laicorum relicta: quae Clero fuere canonice electiones. Cleri vero nomine venit Capitulum ecclesiae cathedralis.

Inneutesculo XIV. abrogatum est jus Capitulum Cathedralium pontificis collationibus & reservationibus, idque ex frequentissimis discordiis ad supremum Judicium Sedis Apostolicae deferri solitis, ac turbis laicorum libertatem eligentium ut plurimum opprimentibus. In Germania vero Capitula retinuerunt jus eligendi Episcopos. Sunt & Reges, quibus jus nominandi Episcopos competit. *(Circa hanc disciplinam, ut aliquid innotescat vid. lib. B. ex pag. 355. in add. hisp.)*

ARTICULUS III.

Episcopus quoad ea, quae concernunt ejus residentiam translationem, & renuntiationem.

Episcopi etiam Cardinales tenentur de Jure divino residere in suis episcopatibus; Colligitur ex Conc. Trident. sess. 23. de reformat. cap. 1. & tenent expresse Barbosa de off. & potest. Episcop. part. 3. alleg. 53. n. 2. ubi plusquam triginta Auctores adducit, Pignat. l. 4. consil. 17. n. 18. ubi plusquam quadraginta Doctores pro hac sententia adducit, & ex Turriano refert Romae in quadam Congregatione habita omnes convenisse, residentiam esse de Jure divino; Fagnan. lib. 1. Decret. in cap. Bonae memoriae 3. de postulat. Praelat. num. 27. & lib. 3. Decret. in cap. Ex part. 3. de Clericis non residentibus num. 28. & sequentibus, ubi solide, & late id probat. *(Vid. leg. 29. tit. 5. p. 1.)* Non obstat quod Papa super tali residentia aliquando dispenset, quod judicet residentiam personale non esse de Jure divino, cum super ipso ecclesia nequeat dispensare, *ex cap. Sunt quidem 25. quest. 1. cap. Sicut cum ibi notat. dist. 15. D. Thom. in 1. 2. quest. 97. art. 4. ad 3. Non obstat, inquam, quae ex Richardo de Medavilla in 4. sentent. dist. 38. quest. 9. art. 1. & Card. in cap. Cui ad Monasterium, §. Abbas num. 26. de statu Monachor. dispensatio potest capi dupliciter, primo modo pro Juris relaxatione, & secundo modo pro juris declaratione, & hoc secundo modo Papa dispensare potest super Jure divino, videlicet illud declarando, & interpretando, ut factum fuisse constat *ex cap. Id omni 4. & cap. licet 23. de testibus & attestantibus, & notat Glossa unica, in dist. cap. Sunt quidem, ubi expresse dicit, Papam dispensare in evangelio interpretando ipsum. Papa igitur licet proprie & rigorose, sumpta dispensatione pro Juris relaxatione, non dispenset cum Episcopo super residentia, dispensat tamen dispensatione sumpta pro Juris declaratione, interpretando, & declarando Jus divinum eo casu propter aliquam circumstantiam non obligare. Et sic respondent Covarrub. variar. resol. lib. 3. cap. 13. numer. 9. verb. Fateor enim: Sotus de just. & Jur. lib. 10. quest. 3. art. 1. Vasquez in opus. mor. in tract. de benefice, cap. 4. §. 2. dub. 1. num. 123. in fin. S. Thom. quodlib. 6. art. 1. Fagnan. in cit. cap. Ex parte num. 57. & sequent. & alii plures.**

Episcopus ob aliquas causas excusatur à vinculo necessariae continuitatis residenti in dioecesi; & tales causae sunt christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens ecclesiae. vel reipublicae utilitas; Concil. Trident. sess. 23. de reformat. cap. 1. Christiana charitas intelligitur, quando urget proximorum utilitas, ut si aliqua ecclesia videretur in magno periculo heresis, &

Episcopi predicatione posset succurri, vel ob pacem Magnatum componendam, dummodo ex tali absentia in propria ecclesia non sequatur notabile detrimentum, quia esset contra ordinem charitatis. Tolet. in instrum. Sacrorum lib. 5. cap. 4. num. 3. Marc. Ant. Genuens. in manual. Pastorum cap. 31. num. 3. Barbosa loc. cit. num. 6. & alii passim. Urgens necessitas intelligitur, quando Episcopus residendo grave malum vitæ incurreret, vel propter morbum curabilem tamen, & temporaneum, vel propter aeris intemperiem ad aliquod tempus, vel propter aliquam personalem persecutionem, vel ob inimicitias, aut ob Principis, & populi futorem declinandum, dummodo tamen ex tali absentia ecclesia sua nullum patiatur detrimentum spirituale: nam si imminet suarum ovium detrimentum spirituale, quia v. g. Tyrannus, vel Hæreticus studeat nocere ovibus in spiritualibus, tunc debet potius mori, quam deserere gregem, quia bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis, Joan. 10. S. Thom. 2. 2. quest. 185. art. 5. Tolet. dict. cap. 4. num. 3. vers. 3. Genes. dict. cap. 31. num. 3. Caran. tract. de residentia Episcoporum cap. 12. vers. 2. Barbosa loc. cit. n. 7. Munus enim episcopale adeo stricte obligat, ut minus estimare debeat bonus pastor detrimentum propria vitæ, quam detrimentum in spiritualibus suarum ovium, quarum curam suscipit, ut egerunt S. Thomas Archiepiscopus Cantuariensis, S. Stanislaus Episcopus Cracoviensis, & alii plures. Debita obedientia intelligitur, quando Papa propter aliquod negotium ad se vocat Episcopum. Sic Cardinales Romano Pontifici assistentes justam habent causam, ut absint ab ecclesiis, quarum sunt Episcopi, Azorius instit. moral. part. 2. lib. 7. cap. 4. quest. 4. & 7. Barbosa loc. cit. num. 13. cum pluribus ibi citatis. (Recognosce leg. num. 2. cit. qua fere convenit.)

Evidens ecclesie utilitas intelligitur, quando Episcopus abest ad defendenda jura suæ ecclesie, vel vocatus accedit ad Concilium Generale, vel Provinciale, 8. quando scilicet durat Concilium. Communis. Evidens reipublice utilitas intelligitur, quando Episcopus abest pro utilitate suæ civitatis aut totius regni, ut cum mittitur Legatus ad Pontificem, aut ad Reges pro tractandis negotiis Fidei aut pro pace componenda, ubi non facile invenitur alius, quam Episcopus, ita dextere ea negotia tractaturus. Communis. Episcopus evidenti Reipublice exigente utilitate potest etiam esse Legatus, sive Orator Principis secularis, ut habetur in cap. Cum parat, de appellatombus, & tenet expresse Glossa ibid. verb. in Legatione, arg. cap. Si Episcopus 13. dist. 18. & cap. Salonitanæ 24. dist. 63. & cum pluribus aliis Barbosa loc. cit. num. 16. Episcopus solum de licentia Summi Pontificis potest eximi à residentia sui episcopatus, ut in curia Regum fungatur munere, & officio Regii Præsidis, Consiliiarii, Proregis, Confessarii, & hujusmodi, si ea sit hominum penuria, ut alii satis idonei minime reperiantur, qui talia officia præstare possint. Azorius instit. moral. part. 2. lib. 7. cap. 4. quest. 6. Diana part. 2. tractat. 1. resol. 5. in fine, & cum aliis Barbosa loc. cit. num. 17. Unde ab Episcopis sunt attente consideranda verba undequaque Eminentiissimi Cardinalis à Turrecementa in cap. Si vobis 23. quest. ultima, ibi: "Turpe est, ut Episcopi esse inferant ad servitiū Imperatoris, vel alterius Principis secularis, ut deserant causam subditorum, & officia devotionis; Hoc non facerent, si mortem spiritualem timerent; & intelligerent se reddituros rationem de ovibus suis Deo Summo Judici; Utinam etiam de Curia Romana hoc in parte observaretur, in qua plures

Episcopi conveniunt, non devotionis gratia, sed ambitionis spiritu impulsati, ut altiora quarant, aut beneficentia addant beneficiis, aut honores honoribus, ut que officia, & legationes quarant, que curæ animarum sibi commissarum afferunt plurimum impedimentum; Utinam Summi Pontifices considerarent quanta negligentia circa animas committatur ex absentia Prælatorum ab ecclesiis suis!"

(Congruunt quæ art. 5. verb. Canoniciatus, art. 1. verb. Beneficiatus, & quæ verb. Parochus, referuntur. Vid. etiam verb. Residentia.)

Decretum factum pro Parochorum residentia quod teneantur ministrare etiam tempore pestis, & cum periculo vitæ, sacramenta Baptismi, & Penitentia, à Sacro Congr. Concilii 23. Septembris 1576. multo magis debet procedere in Episcopis ob majorem eorum obligationem, qui tamen poterunt in locis tutioribus manere, & inde providere. Sic declaravit Greg. XIII. die 18. ejusdem anni 1578. teste Fagnano lib. 3. de cr. in cap. 6. Clericos 17. de Clericis non residentibus num. 46. & 47. Episcopus residere tenetur, licet habeat Coadjutorem, Sacra Congreg. Episcop. in Neapolitana 24. Martii 1597. & in Neapolitanen. 7. Septembris 1616. etiam tempore contagii: Eadem Sacra Congregatio in Marana 23. Julii 1602. Potest Episcopus residere in qualibet parte diocesis, modo vadat ad cathedralem temporibus præscriptis à Sacro Concilio Trident. sess. 23. cap. 1. Sacra Congregat. Episcoporum. 17. Decembris 1649. Episcopus propter aeris intemperiem residens in aliqua parte suæ diocesis non tamen removere debet Vicarium, & tribunal à civitate, ut declaravit Sacra Congregatio Episcoporum 28. Januarii 1603. die 3. Octobris 1611. die 22. Februarii 1647. & die 17. Decembris 1649. Pignatelli. consulti. 64. tom. 7. Episcopus ex causa mali aeris, cui subiacet civitas episcopalis, non potest in aliqua anni parte degere extra diocesim ultra trimestre, maxime cum intra fines diocesis adsunt loca salubrioris aeris, in quibus residere potest absque periculo. Nec est suffragatur præsentia consuetudo degendi extra residentiam; Unde à Metropolitanano cogi potest ad residentiam, juxta dispositionem Sacri Concilii Trident. ut declaravit Sacra Congreg. Concilii sub die 18. Septembris 1683. in qua propositis dubiis.

I. An Episcopus ex causa mali aeris, cui subiacet civitas episcopalis possit in aliqua anni parte, degere extra diocesim ultra trimestre, licet intra fines diocesis adsint loca salubriora aeris, in quibus residere potest absque periculo? Et quatenus negative.

II. An Episcopo suffragatur præsentia consuetudo, ut supra, degendi extra residentiam? Et quatenus negative.

III. An, & quibus mediis possit à Metropolitanano cogi ad residentiam?

Sacra Congregatio respondit:
Ad primum, & secundum negative.
Ad tertium servetur dispositio Sacri Concilii Tridentini.

Super residentia episcoporum edita est die 12. Decembris 1634. ab Urbano VIII. constitutio incipiens: Sancta Synodus: in qua multa scitu digna statuuntur, & hic prout sunt à Fagnano in cap. Qualiter q. de Clericis non residentibus à num. 11. ad 27. summarie transcripta, traduntur. Primo igitur Sanctitas sua innovat decreta Concilii Trident. constituit apostolicas, & decreta consis-

⊙ Circa dispositum hac in constitutione adest in Hispania, in quantum Sacrosancti Concilii Tridentini sess. 23. cap. 1. non consonat, supplicatio ad Sanctissimum interposita; (1) advertitur equidem discrimen in anno editionis, ab Auct. proposito, & à nostra decisione signato.

Si amissio facultatum non residentes ecclesiis incurrere, ad Archiepiscopos & Episcopos contrahitur, nullum verbum hic inserendum, quia de fructibus earundem ecclesiarum, spoliisve talis facultas testandi sublata jam manet. (2)

(1) Remit. 34. tit. 3. lib. 1. Est interstipuea suplicacion del Breve que la Santidad de Urbano VIII. expidió sobre la residentia de los Obispos año de 1635. en todo

lo que no es conforme à lo dispuesto por el Santo Concilio de Trento en la sess. 23. cap. 1. Vid. verb. Residentia. (2) Vid. verb. Spolium, in principio.

istorialla super residentia Episcoporum: Multæ enim constituit super hoc ante prodierunt, ut Pii IV. & Pii V. Item multa decreta consistorialla, & in specie Gregorius XIII. declaravit decreta Concilii, & penas ejusdem habere locum etiam in S. R. E. Cardinalibus; Et Clemens VIII. suo decreto consistoriali addidit penam inhabilitatis Episcoporum non residentium ad majores dignitates, & ecclesias obtinendas. Secundo jubet jam Præfectos Cathedralibus, & majoribus ecclesiis etiam S. R. E. Cardinales se itineri committere, & ad residentiam conferre infra unum mensem, si in Urbe existant, infra duos si extra Urbem in Italia, si extra Italiam, infra quatuor computandos à die publicationis Bullæ. Nondum autem Præfectos infra terminos superiores expressos computandos à die eorum promotionis. Indeque nec supradictos, nec alios jam residentes abscedere absque licentia per Breve, vel literas missivas sub pena Interdicti ab ingressu ecclesie, amissionis fructuum, & facultatum testandi ipso jure incurrenda, necnon privationis à regimine, & administratione ecclesiarum, aliisque penis arbitrio Sanctitatis suæ infligendis. Quoad penas Pii IV. in constitutione, que incipit In suprema, edita post Concilii publicationem similiter præcipit Episcopi, ut in suis ecclesiis personaliter resident sub pena privationis à regimine, & administratione ecclesiarum suarum, ac aliis suo arbitrio imponendis penis, & bona decedentium extra residentiam decernit tanquam spolia ad Cameram Apostolicam pertinere, etiam facultatem specialem de illis testandis obtinuerint; Et penam Interdicti ab ingressu ecclesie imponit in alia ejus constitutione edita ante publicationem Concilii, que incipit De salute gregis.

Tertio declarat contrafacientes non excusari à penis pretextu servitiū Imperatoris, aliorumque Principum, aut Regum, & defensionis litium, etiam ecclesiarum, in eundem fœderis, aut alterius negotii, etiam gravissimi, speciali nota digni, distantie locorum, brevitatibus temporis expectandi licentiam ab Urbe, vel alterius cause, etiam publicæ, ac pie utilitatis, vel necessitatis ecclesiarum, vel personarum. Quarto excipit causam interuentia in synodis provincialibus, vel congregationibus, seu assembleis generalibus, quibus ecclesiastici interesse solent ratione muneris, aut reipublice officii ecclesie adjuñcti, quando tamen actu duraverint; Hanc ipsam causam excipit Tridentinum Concilium in cap. 1. sess. 23. ibi: "Nisi cum absentia incidit propter aliquid munus, & reipublice officium episcopaliibus adjuñctum, cujus quoniam cause sunt notorie, & interdum repentinae, ne eas quidem significari metropolitanam necesse erit."

Quinto declarat S. R. E. Cardinales priores in Ordine habentes episcopatum prope Urbem, etiam in illis, vel in Urbe in suis titulis residentem, non excusari à residentia in cathedralibus, & majoribus ecclesiis, quibus præfecti sunt, nec ex eo quod Papa eos videat, aut toleret, & ad functiones etiam pontificales, & solemnes admittat.

Sexto præcipit Auditori Cameræ, ut summarie procedat adversus non residentes usque ad sententiam diffinitivam exclusive, quam sibi reservavit in Consistorio. Hoc ipsum ordinavit Pius IV. constitutione incipiens. Cum tam Sacrosanctum, (verb. Cardinales.)

Septimo indulget, ut existentes ultra montes abesse possint ex causa Visitationis Limum per septem menses, & circa montes per quatuor, dummodo eo tempore ad alios actus non divertant. Octavo indulget Cardinalibus, præfectis cathedralibus, & aliis majoribus ecclesiis, ut ex causa vacationis Sedis Apostolicæ possint non solum ad locum Conclavis accedere, dummodo à diocesi non discedant, nisi habita certa noticia mortis Pontificis; sed etiam in Urbe commorari usque ad peractam electionem, & per duos menses post Coronationem Pon-

tificis, quo tamen tempore elapso, nisi præfati Cardinales illico, ut præfertur, ad ecclesias præfatas, quibus præsidere eos contigerit, se contulerint, vult Pontifex, quod subjaceant penis prædictis. Nono declarat eos, qui pluribus ecclesiis præsunt, excusari quidem à penis, dummodo resideant in earum altera, in qua tenentur de jure. Non tamen propterea excusari Cardinales habentes aliquem ex sex episcopaliibus prope Urbem, quin teneantur residere in illis, quibus præfecti sunt. Ultimo statuit, ut nemo possit prædictam constitutionem interpretari, aut declarare præter Romanum Pontificem, & adjicit clausulas generales in forma amplissima.

Episcopus æqua ex causa potest abesse à sua ecclesia, & diocesi singulis annis per duos, vel tres menses, sive continue, sive interrupte, absque alia Superioris approbatione, dummodo tamen id non fiat temporibus Adventus, & Quadragesimæ, & Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes item, & Corporis Christi diebus; Concilium Tridentinum sess. 23. de reformat. cap. 1. §. Quoniam, & communis Doctorum.

Episcopus abesse potest à sua ecclesia, & diocesi per tres menses, etiam causa animam relaxandi, Barbosa collect. Trid. dict. sess. 23. cap. 1. num. 16. Azorius, Santarell. ibi citati, & alii passim. Nec trimestre spatium, quo Episcopi æqua ex causa singulis annis à suis ecclesiis abesse licet ex decreto Concilii Tridentini in dict. cap. 1. sess. 23. fuit sublatum ab Urbano VIII. in citat. constitutione incipiens. Sancta Synodus: ut Sacra Congregatio Concilii in hæc verba respondit: "Die 3. Februarii 1635. requiritibus nonnullis Episcopis, Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, habito prius verbo cum Sanctissimo Domino nostro, respondit, per constitutionem super Episcoporum, etiam S. R. E. Cardinalium residentia ab eodem S. D. N. nuper editam non fuisse sublatam facultatem ab eodem Sacro Concilio in cap. 1. sess. 23. de reformatione, concessam æqua ex causa abessendi aliquantisper à residentia, dummodo absentie spatium, duos, vel summum tres menses non excedat." Episcopi temporibus à Concilio Tridentini præscriptis, scilicet Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes item, & Corporis Christi diebus, tenentur quidem apud suam Cathedralē ecclesiam residere, ita ut aliter suæ obligationi non satisfiant, nisi munia episcopalia in sua diocesi eos alio vocent. Ceterum non incidunt in penas à Sancta Synodo cap. 1. sess. 6. & c. 1. sess. 23. de reformat. Episcopis non residentibus inflictas; Sic decrevisse Sacra Congregat. Concilii refert Fagnan. lib. 3. decret. in cap. Qualiter 9. de Clericis non residentibus num. 39. Non licere tamen ipsis quotannis abesse tribus mensibus sine justa causa; statuit novissime Benedictus XIV. constit. incip. Ubi primum.

Episcopus, dum residet, non potest citari ad comparandum in Curia, nisi de Papæ commissione; Pius IV. constituit. incipiens. De salute Gregis. Episcopus residens in sua diocesi liber est à residentia suarum dignitatum, & beneficiorum simplicium, quæ obtinet in alia diocesi, nec aliud amittit, nisi quod causa absentie non percipiunt alteri; Sic decrevisse Sacra Congregat. Concilii refert Amend. in addit. ad recap. Legum Nav. lib. 2. tit. 23. leg. 2. rub. Rub. Utrum Episcopi possint se absentare à suis episcopaliibus num. 4. & ex ipso Barbosa Collectan. apostolicar. actis. verb. Episcopus circa residentiam num. 8. Episcopus absens non gaudet beneficio alternativæ etiam quando abest ex causa à Concilio approbata; Sic decrevisse Sacram Congregat. Concilii refertur Nicol. Garcias in addit. ad suum tract. de benefic. part. 5. cap. 1. num. 463. Massobr. in sua praxi habendi conversum, prelude. 23. dub. 3. & ex ipsis Barb. loc. cit. n. 9. (2) Episcopus

⊙ Hoc equidem suas habet limitationes; nam personæ ecclesiasticæ, dum à Supremo Principe, vicemque ejus gerente sunt evocate, absdubio comparere tenentur (1).
⊙ Episcopus sive sit absens, sive præsens sua in diocesi, etiam si justa subsistente causa abfuerit ab illa, beneficio alternativæ quicquid Auct. dicat, non gaudebit (2).

(1) Vid. verb. Bannitus. (2) Vid. verb. Abbas, Beneficium, præcipueque verb. Alternativa.

pus absens a sua diocesi ultra tempus a jure statutum, qui communis non reddit ad residentiam, videtur habere ecclesiam pro derelicta, & potest ea spoliari per Papam sine citatione, & sententia; cap. Qualiter 9. de Clericis non residentibus, ubi Papa Innocent. III. dedit licentiam Canonici Ragusini eligendi alium Archiepiscopum, absque eo quod processerit formalis citatio, vel sententia privationis, ut bene observat, & tenet Abbas ibid. in tercio notabil. Fagnanus ibid. num. 4. & G. Conditio personæ excusat interdum Episcopum a personali residentia, ut cum Episcopus est talis conditionis, ut melius, aut saltem æque bene per ipsum absentem regatur ecclesia, quam regetur per alium Episcopum presentem; S. Thom. quod. 9. art. 15. ubi: *Ut puta si sit necessitas in pluribus ecclesiis ejus obrequi, & possit plus servare ecclesie, vel tantumdem absens, quam alius presentem, & si que adit hujusmodi. Et sic videmus in Germania cum sublimibus personis non raro dispensari super retentione plurimum episcopatum, non quidem principa-liter, ut ex illorum fructibus se alere possint, sed ut catholicam religionem, expulsi heresibus, consilio, opibus, auctoritate, & potentia sariam teclam tueantur, ut observat Fagnanus lib. 1. Decret. in cap. Dudum 22. de election. num. 29. dicens, Principem Electorem Coloniensem suis temporibus, obtinuisse simul archiepiscopatum Colonie, & episcopatum Leodiensem, Monasteriensem, Paderbonensem, & Hildesheimensem, & de facto de anno 1737. Clemens Augustus Frater Ducis Bavarie erat Archiepiscopus, & Elector Colonie, & simul obtinebat episcopatum Monasteriensem, Paderbonensem, & Osnabrigensem, & hac ratione sex Episcopi Cardinales prope Urbem habent Romæ residentiam, ut docet praxis, & observat Fagnanus lib. 1. decret. in cap. Bonæ memoriæ de postular. Prælatorum num. 38. in cap. Ex part. 8. de Clericis non residentibus num. 86.*

Episcopus nequit jugere trimestrem absentiam unius anni cum trimestri absentia anni sequentis, v. g. nequit licite abesse a sua ecclesia per menses Octob. Novemb. & Decemb. anni 1737. & continuare absentiam per menses Januarii, Februarii, & Martii 1738. Et ratio est, quia talis semestris absentia complectitur illius temporis spatium Dominici Adventus, & Quadragesimæ, quo nedum Episcopus non licet abesse a sua diocesi, sed ne quidem a sua Cathedrali, ut in Concil. Tridentin. dist. 23. cap. 1. vers. Eosdem interim admonet: *Tum quia in eo, qui abest sex mensibus continuis, non verificatur illud verbum Aliquantisper, quo utitur Concilium dist. cap. 1. dum ait: "Quoniam autem qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum canonum sententia non videntur abesse," cum Concilium illud restringat adducto, vel ad summum tres menses, & absentia Episcopi per sex continuos menses ab eodem Concilio non reputatur brevis, ut patet sess. 6. cap. 1. ibi: "Si quis sex mensibus continuis extra suam diocesim morando abierit, quartæ partis fructum unius anni pecuniam ipso jure incurrat." Sic Sacra Congregatio super residentia Episcoporum habita in Quirinali ex ordine Sanctissimi die 17. Julii 1657. Episcopus, qui Beatorem Apostolorum Limina visitavit, v. g. in fine unius triennii, non potest immediate in principio sequentis triennii iterum visitare, ac proinde nec visitationis titulo per octo continuos menses a sua ecclesia abesse; Sic eadem Sacra Congregatio, Episcopo, qui antea per multum tempus, v. g. per decem continuos annos in sua ecclesia resedit, & ab ipsa vacatione per Sac. Concilium ex rationabili causa singulis annis permissa semper se abstinent, nequit aliquando concedi facultas non residendi per aliquod tempus, si non adsit ulla causa ex approbata ab eodem Sacro Concilio Tridentin. Sic eadem Sac. Congreg. Quam Congregationis sententiam S. D. N. ad se relatum in omnibus approbavit, teste Fagnano lib. 3. Decretal. in cap. Qualiter 9. de Cleric. non resident. a numer. 40. ad 48.*

Translatio Episcopi de una in aliam ecclesiam sola auctoritate Papæ fieri potest; sic expresse habetur in cap. Sicut alterius 39. caus. 7. quest. 1. cap. Cum ex illo 1. cap. Inter corporalia 2. cap. Licet in tantum 4. de translatione

Episcopi. Episcopus propria auctoritate se transferens de sua ecclesia ad aliam, carere debet utraque; cap. Si quis Episcopus 31. caus. 7. quest. 1. cap. Quanto 3. de translatione Episcopi. Et hoc procedit sive Episcopus fuerit jam consecratus, sive solummodo electus, & confirmatus; cap. Inter corporalia 2. & cap. Licet in tantum 4. de translatione Episcopi. Metropolitenus, aut Patriarcha, si Episcopum sine mandato Papæ transferret, a confirmatione esset suspensus, textu expresso in cap. Cum ex illo 1. de translatione Episcopi. Causæ justæ transferendi Episcopum generantur sunt, duæ scilicet necessitas, & utilitas ecclesiæ; cap. Mutationes 43. caus. 7. quest. 1. ibi: *Mutationes Episcoporum scilicet communi utilitate, atque necessitate fieri licere; cap. Scias frater 37. caus. 7. quest. eadem, ibi: Non ergo bene intelligunt ecclesiasticas regulas, qui hoc negant causa necessitatis, vel utilitatis fieri posse quæ communi utilitati, vel necessitati persuaserit; cap. Quanto, de translatione Episcopi; ibi: Ecclesiæ necessitate, vel utilitate pensata. Hinc translatio facta in favorem solius translati, & maxime propter epus ambitionem, aut avaritiam improbat expresse a sacris canonibus, cit. cap. Mutationes 35. caus. 7. quest. 1. ibi: *Sed non propria cuiusquam voluntate, aut dominatione. Non ambitu, nec propria voluntate; cit. cap. Scias frater 37. caus. 7. quest. 1. ibi: Non avaritiæ causa, aut dominationis, aut propriæ voluntatis, vel delectationis suæ, cap. Episcopus 37. caus. 7. quest. 1. ibi: Episcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non transeat. Episcopus autem transiens ad aliam ecclesiam sine justa causa dicitur adulterium committere; cap. Sicut vir 31. & cap. Sicut alterius 39. caus. 7. quest. 1. & expresse Fagnan. in cit. cap. Quanto 3. de translatione Episcopi. & num. 94. & 109. Translatio Episcopi regulariter fit a minore ad majorem ecclesiam; cap. Cum ex illo 1. de translat. Episcopi ubi Innoc. III. sic scribit Patriarchæ Antiocheno: "Mirramur, quod... novo quodam mutationis genere parvificasti majorem, & magnum quodammodo minorasti episcopate Archiepiscopum, immo potius de archiepiscopate presumpsisti;" & arg. cap. Legimus dist. 93. ibi: "Qui prohibetur, de minore ad majus prohibetur;" & cap. Licet in tantum 4. de translat. Episcopi: "Quod nisi ad majorem vocaretur forsitan dignitatem, eam sibi videret assumere;" & ibi Glossa 2. & Butrius, Imola, & Fagnan. in cit. cap. Cum ex illo num. 9. Nam gradatim conferuntur honores; leg. Ut gradatim ff. de mun. & honor. (Convenit gloss. D. Gregor. Lopez in leg. 15. tit. 5. p. 1. Concordat lex 17. tit. 13. §. tit. 22. p. 2.) Dicitur fuit notantur regulariter, quia ob causas peculiares potest interdum fieri translatio Episcopi ad una ad aliam ecclesiam episcopalem, quamvis hæc non sit major ab altera, immo ab ecclesia archiepiscopali ad episcopalem, & aliquando ob gravem causam ad subvertendum necessariz sustentationi, etiam ab ecclesia episcopali fit translatio ad parochialem, ut in cap. Pastoralis 42. caus. 7. quest. 1. & cap. Ad supplicationes 9. de renuntiation. ubi Archiepiscopus, qui absque mortis periculo in sua ecclesia morari non poterat, concessione Papæ ita descendisse legitur. Archiepiscopo enim, qui ex justa causa cessit archiepiscopatu, licite de episcopatu vacante provideri potest, & sic fuisse judicatum per Clementem IV. referi Hostiensis in cit. cap. Cum ex illo numer. 6. & ibidem Fagnan. num. 30. quando Nellfrancus Archiepiscopus Salisburgensis cessit, & Dux Polonie ad eandem ecclesiam promotus extitit, & predicto Archiepiscopo de episcopatu Jesonensi ecclesie etiam eidem Salisburgensi subiecte provisorium fuit. Secus autem si cessio facta fuerit in fraudem ad obtinendum episcopatum archiepiscopatu, seu priori episcopatu locupletiorum, quod est evitandum; arg. cap. Quarto 3. de translatione Episcopi. ibi: *Cum secundum traditiones canonicas, qui ad majorem se plebem transferuntur, a cathedra repelli debeat aliena, & carere propria, ut nec illas possideat, quas per superbiam sprexit, nec illas, quas per avaritiam conceperit, & concordat cap. Si quis Episcopus 31. & cap. Si quis de Ordin. 32. caus. 7. quest. 1. Fagnanus cum multis aliis loc. cit. num. 27.***

Episcopus electus, & confirmatus, sed nondum con-

secratus non potest transferri invitus ad alium episcopatum; Sic Hostiensis in cap. final. de postular. Prælatorum num. 1. vers. Et hoc intelligat: Joann. Andr. ibid. numer. 2. vers. Quod intelligat de voluntarie consecrato: Abbas ibid. num. 11. vers. Et hoc verum: Pagnan. in cap. Quanto 3. de translat. Episcop. num. 12. & alii passim. Et ratio est, quia nemo ab initio cogitur episcopari, seu nemo potest invitus consecrari; cap. Innotuit 20. & cap. Cum inter Canonicos 21. de election. Unde satis est, quod Episcopus confirmatus, & nondum consecratus, dum transferri recusat, omnino cedat dignitati, allegando se nolle unquam consecrari in Episcopum, ut in cap. Quoniam 2. dist. 75. cap. Quoniam 1. dist. 1000. & cap. Inter corporalia 2. §. Sed neque, de translatione Episcopi. & Concil. Trident. sess. 23. cap. 2. de reformat. ubi statuitur, quod Episcopus confirmatus pro jure sit privatus sua ecclesia, si intra sex menses minus consecrationis recipere neglexerit, quod satis indicat esse in sua libertate vel consecrari, vel non; & idem docet S. Thomas in 4. dist. 25. quest. 2. art. 1. ubi dicit, ad episcopatum, ubi in corpus Christi mysticum accipitur potestas, requiritur actum suscipientis curam pastoralem. Tum quia character sacramentalis ibi: *Tunc ergo characterem sacramentalis imprimi operatio, cum obicem voluntatis contraria non invenit obstitentem. (Vid. leg. 5. tit. 5. p. 1.)*

Episcopus consecratus ex rationabili, & justa causa potest a Papa transferri invitus de una in aliam ecclesiam; cap. Scias frater 35. caus. 7. quest. 1. ubi Papa Pelagius sic scribit Benigno Archiepiscopo: "Scias, frater dilectissime, aliud causam necessitatis, & utilitatis, aliud presumptionis, ac propriæ voluntatis: Non ergo mutat sedem, qui non mutat mentem, id est qui non avaritiæ causa, aut dominationis, aut propriæ voluntatis, vel delectationis suæ migrat de civitate ad civitatem, sed causa necessitatis, & utilitatis, mutatur: nam plurimum utilitas unius utilitati, vel voluntati præferenda est; Aliud est enim mutare, & aliud mutari; nam aliud est sponte transire, aliud est coacte, & aut necessitate venire; unde non isti mutant civitatem, sed mutantur, quia non sponte, sed coacte hoc agunt. Non ergo bene intelligunt ecclesiasticas regulas, qui hoc negant causa necessitatis, vel utilitatis fieri posse, quoties communis necessitas, aut utilitas persuaserit." Et sic expresse tenet Glossa in cap. Omnis qui gemebat 7. quest. 1. vers. Coacte: ubi dicit, Papam posse absolute Episcopum cogere, ut, transiat de una ad aliam ecclesiam; arg. cap. Per principalem 9. quest. 3. Idem tenet Hugo, & post eum Turcicremata in cap. Scias frater, vers. Surgit hic questio ubi formaliter dicit, Papam ex toto vel simpliciter tibi absolute posse cogere Episcopum, ut ad alium locum transeat, & abrenunciari primo; Chaldarin. consil. 56. circa finem num. 4. vers. Fator quod est primum in tit. de translatione Prælator. Baldus in leg. rescripta num. 8. Cod. de precibus Imperat. offerend. vers. Item omnia beneficia: Abbas in cap. ult. de postular. Prælat. num. 13. & ibi Hostiensis num. 1. Joann. Andreas num. 2. Rhedean. de simonia part. 2. cap. 12. num. 6. Alexander cons. 74. num. 29. lib. 4. Decius consil. 123. num. 4. Cephal. cons. 235. num. 2. Aciat. de presump. regul. 3. præsumpt. 8. num. 3. Barbat. in trad. de præstant. Card. in part. 1. sub num. 14. vers. Et ideo: Cined. Canonibus quest. 22. sub num. 3. vers. Et respectu Papæ; & est communis opinio, prout testantur, & tenent Præpositus in cap. Omnis, qui gemebat num. 1. Roman. cons. 345. num. 3. & seq. Barbosa lib. Juris eccles. univers. cap. 19. num. 34. Flamin. Paris de resignat. benef. lib. 3. quest. 17. num. 14.

Et ratio est, quia licet ab initio nemo possit cogi invitus episcopari, seu consecrari in Episcopum, ut dicitur est supra sub num. 51. ex cap. Innotuit 20. & cap. Cum inter Canonicos 21. de election. tamen ex quo semel consensit, potest per Papam de una ad aliam ecclesiam etiam invitus transferri; cap. Scias frater 35. caus. 7. quest. 1. Una enim est ecclesia universalis per totum orbem terrarum diffusa, cap. Loquitur 18. caus. 24. quest. 1. adeoque qui semel consensit in hac ecclesia universali episcopari, non potest amplius resistere Papæ ipsum transferenti ex rationabili, & justa causa de una ecclesia

particulari ad aliam, siquidem hic solummodo mutatur locus, non autem dignitas episcopalis respectu ecclesiæ universalis, cit. cap. Scias frater, ibi: *Non ergo mutat Sedem, qui non mutat mentem, id est, qui non avaritiæ causa, aut dominationis, aut propriæ voluntatis, vel delectationis suæ migrat de civitate in civitatem, sed causa necessitatis, & utilitatis movere mutatur.* Vide totum canonem supra num. 54. Tum quia quantum ad hoc Episcopus comparatur Monacho, qui Superiori transferenti non potest resistere, cum velle aut nolle non habeat; cap. Nolo, & cap. Non dicatis 12. quest. 1. cap. Religiosus, de testamentis in 6. & imputandum est illi, quod a principio consenserit se ita indissolubiler alligari; arg. leg. Sicut Cod. de action. & obligat. Tum etiam quia Papa in beneficiis habet plenariam potestatem disponendi; cap. Licet 2. de præbend. in 6. & Clem. 1. §. fin. Ut lite pendente, ubi dicitur, quod ad Romanum Pontificem omnium ecclesiarum, & beneficiorum ecclesiasticorum plena, & libera dispositio ex sua potestate plenitudine nascitur potest, adeoque etiam de plenitudine potestatis potest Episcopum invitum ex rationabili, & justa causa transferre de una ad aliam ecclesiam; alioquin ipsi quoad hos non competeret plena dispositio.

Non pauci tamen magni nominis Doctores tenent, quod Episcopus nolens consentire translationi per Papam factæ, possit quidem auctoritate Papali a vinculo prioris ecclesiæ absolvi, idque tum in penam suæ obstinationis, & inobediencie, arg. cap. Placuit dist. 74; tum ob causam communis utilitatis, vel necessitatis: Non tamen possit omnino invitus, & coactus alteri alligari, seu ad aliam transferri. Ita expresse Glossa in cap. Episcopus de loco 7. quest. 1. Joan. Andr. in cap. Quod ob gratiam num. 1. in fin. de Regul. Juris in 6. dicens, quod Papa possit transferre Episcopum invitum, saltem ut crearet primam ecclesiam; Sannig. lib. 1. Decretal. cap. 3. n. 2. asserens, quod si translatus nollet consentire, nullum sequeretur conjugium spirituale inter ipsum, & novam ecclesiam; sic etiam Reiffenstuel ibidem num. 30. & 32. & late Fagnan. in cit. cap. Quanto 3. de translatione Episcopi num. 101. & sequent. Et ratio sua est, quia Episcopus translatus contrahit novum conjugium conjugium cum ecclesia, ad quam transferretur; arg. cap. Sicut vir 11. & cap. Sicut alterius 39. caus. 7. quest. 1. cap. Inter corporalia 2. & cap. Licet in tantum 4. de translatione Episcopi. Ad validitatem autem spiritualis conjugii, sicut & carnalis, necessarius est consensus contrahentium, cap. Cum inter Canonicos 21. de election. ibi: *Ut per mutuum consensum eligentium, & electi, quasi conjugale vinculum spiritualiter sit contractum;* cap. Locum, cap. Cum apud, & cap. Tuas, de sponsalibus, leg. Nuptias, ff. de Regul. Juris, adeoquæ talis consensus etiam requiritur ex parte Episcopi translati, & consequenter omnino invitus nequit transferri ad aliam ecclesiam, ut inter ipsum, & ecclesiam censetur ortum vinculum conjugii spiritualis.

Quando Episcopus sciens, & volens transferretur, prior sedes episcopalis vacat illico à die factæ in Curia, seu Consistorio Papæ translationis; Communis, ac certa cum Abbat. Panorm. consil. 101. num. 3. & 4. lib. 2. Rota part. 1. recent. decisi. 475. num. 6. & sequent. ibi sub num. 16. ostendit, opinionem illorum, qui dixerunt non induci vacationem episcopatus, nisi post adeptam possessionem secundæ, esse erroneam veluti innoxiam auctoritati Gloss. in cap. Si quis jam translatus 21. dist. 2. quæ loquitur de translatione abusiva; Fagnan. in cit. cap. Quanto 3. de translat. Episcopi, num. 99. Barbosa in Collegatis ad cap. 1. num. 5. de translat. Episcopi. & lib. 1. Juris eccles. univers. cap. 19. num. 37. ubi refert notabilem declarationem desuper emanatam in hæc verba.

Die 14. Decembris 1624. Sacra Congregatio Illust. strissimorum Cardinalium negotiis Episcoporum præposita Sanctiss. D. N. approbante, censuit ecclesiam, quæ volens transferretur, seu quam admittit Episcopus, vacare ab eo tempore, quo idem Episcopus ab illius vinculo absolvitur in Consistorio Sanctitatis suæ, etiam ante expeditionem litterarum apostolicarum, vel adeptam possessionem secundæ ecclesiæ. Et postquam hujus-

ajusmodi absolutiois notitiam Episcopus habuerit, etiam ex testimonio, seu documento Secretarii Sacri Collegii, illico teneri eum abstinere exercitio ordinariæ jurisdictionis, eamque transire in Capitulum Sede vacante, & ita posse, & debere Capitulum statim sua jurisdictione uti, ac Vicarium juxta Tridentini Concilii præscriptum eligere, sedemque vacantem publicare. (Translatione, depositione, sive renuntiatione, sede episcopali vacante, non prius hujus erit à Capitulo publicato faciendâ, quam regie Camera licentia præcesserit: sic per decretum Regis Catholici, mense Martii anno 1785. expediti mandatum, manet resolutum.)

62. Si transferatur Episcopus absens, & ignorans, non vacat prior ecclesia ante præsumtum à translati consensum, nisi secus exprimat à Papa; Ita Abbas in cit. consil. 101. num. 4. lib. 2. Fagnan. in cit. cap. Quanto num. 96. & sequent. citans alios, Reiffensuel lib. 1. Decretal. tit. 7. num. 41. Et ratio est, quia quando Papa transfert Episcopum absentem, & ignorantem de una ad aliam ecclesiam, non aliter solet transferre (nisi secus exprimat) quam sub conditione, quod is consentiat, vel expresse, vel saltem tacite, acquiescendo videlicet translationi de se factæ; Ita Joan. Monachus in cap. Generali num. 10. de election. in 6. asserens, se hoc vidisse pluries in Curia declarari. In ipsa enim beneficiorum ecclesiasticorum collatione subintelligitur conditio illa; Si provetus consenserit, ut legitur in capitul. Si tibi absentem 17. de præbend. in 6. Episcopus translatus potest secum auferre fructus jam perceptos; Ita Rota dicit. unie. de translat. Episcop. in antiquis, Card. Tuscus lit. T. conclus. 364. num. 10. Calderin. consil. 264. alias 2. de rebus eccl. non alienand. & alii passim; Redditi enim, seu fructus beneficiorum dantur Clericis, ipsisque Episcopis ob ministerium, quod ecclesiis exhibent in earum regimine, & cura, aliisque divinis obsequiis; cap. Cum secundum, ibi de præbend. adeoque justum est, quod Episcopus translatus possit secum deferre tales fructus

64. jam perceptos, & exactos. Episcopus translatus potest etiam secum asportare bona sua immobilia acquisita in priori ecclesia, seu ex ejus fructibus comparata, dummodo hæc nondum sint ecclesiæ dedicata; Ita Cardin. Tuscus cit. conclus. 364. num. 10. Calderin. cit. consil. 264. alias 2. de rebus eccl. non alienand. Reiffensuel loc. cit. num. 48. Si enim Episcopus translatus potest secum asportare fructus jam perceptos, poterit etiam secum deferre bona sua immobilia ex talibus fructibus comparata, quia res, quæ succedit in locum alterius, eodem jure censetur cum illa, cap. Ecclesia 3. Ut lite pendente, junctis pluribus concordantiis, tum Canonice, tum Civilibus, ibi de verb. Successerunt à Glossa allegatis.

65. Fructus pendentes, & inextincti non pertinent ad Episcopum translatum pro rata temporis, sed debent in utilitatem ecclesiæ expendi, aut futuro successori asservari; Colligitur in cap. Cum vos 4. de offic. Ordinarii, cap. Presenti 9. eod. in 6. & tenet Gloss. ibi de verb. Reservari, Petrus Barbos. in leg. Divortio num. 56. ff. soluto matrimonio, citans Rotam decis. unie. de translatione Episcop. in antiquis, Bartolum, Paulum Castrensem, & Calderinum consil. 2. de pecul. Cleric. qui asserit, secundum Juris communis traditiones istud esse indubitatum; Navarr. consil. 7. num. 7. de successione. ab intestato, hanc appellans communem opinionem; Rota in causa Pbaren. si pensiois 19. Junii 1573. relata per Garciam part. 2. de beneficiis cap. 1. num. 95. 108. & 109. hanc appellans communem opinionem; Hostiensis, Cardinal. Imola in cap. ult. de pecul. Cleric. Et ratio est, quia fructus pendentes partem fundi esse videntur, ut loquitur textus in l. Fructus pendentes, ff. de rei vindicat. Unde donec fuerint col-

lecti, seu à solo separati, una cum fundo spectant ad ecclesiam, vel ad successorem in beneficio ipsos colligentem, l. Si fructuarius, ff. Quibus modis usufructus amittitur, § 5. Is vero Instituit. de rerum division. ubi sic legitur: Is vero, ad quem usufructus fundi pertinet, non aliter dominus fructum efficit, quam si ipse eos percipiat, decesserit, ad heredes ejus non pertinent, sed domino proprietatis acquiruntur. (Ad rem lex. 39. tit. 28. p. 3. 16. tit. 13. 11. tit. fin. part. 5.) Accedit coconstitutio Julii III. incipiens: Cum sicut: confirmata per Urbanum VIII. in sua constit. incipiens. Aternus rerum conditor: in qua expresse statuitur, quod fructus beneficiorum tempore obitus Beneficiorum, etiam Episcoporum, vel Cardinalium inextincti spectant ad successores in beneficiis, ubi non debent Reverendis. Camere Apostolicæ persolvi, & consequenter Episcopus translatus, utpote quoad priorem ecclesiam civiliter mortuus, cap. In apibus 41. caus. quasi. 1. nequit eos prætere, cum debeantur successoribus. Non desunt tamen magni nominis Doctores, qui tenent, quod fructus etiam pendentes propter spiritualia ministeria ecclesiæ exhibitâ, pertineant pro rata temporis ad Episcopum translatum; Sic Covarrubias lib. 1. variat. resolution. cap. 15. num. 12. Flamin. Parisius lib. 1. de resignat. benefic. cap. 6. num. 79. & 86. Nicolaus Garcias part. 2. de beneficiis cap. 1. n. 96. & seq. allegans alios, & Cardinal. de Luca de beneficiis disc. 84. num. 4. & disc. 100. num. 10. & quantum attinet ad dictam constitutionem Julii III. incipiens. Cum sicut: & allegatam pro opinione contraria, Navarr. consil. 4. num. 5. de successione. ab intestato arbitrat, non esse ubique receptam in Galliis, nec etiam in Hispaniis, & concordat Nicolaus Garcias de beneficiis part. 2. cap. 1. num. 103. & 104. citans insuper Zec. de beneficiis, & pensionibus cap. 13. num. 81. atque ulterius ostendens ipsam in provincia Mediolanensi nunquam usum fuisse receptam; Unde quantum ad hoc standum est locorum consuetudini.

Renuntiatio Episcopi non valet, nisi per Papam fuerit admessa, cap. Inter corporalia 2. & cap. Licet in tantum 4. de translation. Episcop. Fagnan. in cap. Cum ex illo 1. de translat. Episcop. num. 11. & communis aliorum. Causæ, ob quas Episcopus potest renuntiare episcopatu, & Papa solet admittere renuntiationem, sunt sex, quæ enumerantur in cap. Nisi cum pridem 10. de renuntiat. Prima est conscientia criminis, non quidem cuiuslibet, sed illius dumtaxat, quod post actam poenitentiam impedit executionem officii. Secunda est Imbecillitas corporis, per quam quis impotens redditur ad exequendum officium pastorale. Tertia est defectus scientiæ, etiam competens. Quarta est malitia Plebis, ob quam interdum cogitur Prælati ab ipsis regimine declinare. Quinta est grave scandalum, quod aliter sedari non potest. Sexta est Irregularitas persona. Et istæ sex causæ exprimuntur in duobus sequentibus vulgaris versibus allegatis in Summario cit. cap. Nisi cum pridem.

Dobilis, ignarus, male concius, irregularis, Quem mala plebs odit, dans scandalum, cedere possit. Renuntiatio episcopatus potest fieri dupliciter, scilicet renuntiendo loco tantum, & renuntiendo loco, & dignitati simul, textu expresso in cap. Requisivit. 1. de Ordinatis ab Episcopo, qui renuntiavit episcopatu. Renuntiatio episcopatus renuntiendo loco tantum fit, quando Episcopus ob aeris intemperiem, vel ob persecutionem, & odium, sive malæ plebis, sive principis episcopatum in manus Papæ renuntiat, dimittendo diocesim dumtaxat, titulum tamen episcopalem, & auctoritatem retinendo. Renuntiatio autem episcopatus, renun-

ciando loco, & dignitati simul fit, quando Episcopus ob zelum v. g. ingredienda religionis, vel ut præveniat proteritum depositionem; renuntiat in manus Papæ nomen, & omne jus episcopalis administrationis, atque Ordinis executionem respectu cujuscumque loci, retinendo solum ea, quæ sunt episcopalis ordinis, seu characteris. Episcopus simpliciter renuntians episcopatu, censetur in dubio renuntiasse loco tantum, non autem loco, & dignitati simul, nisi propter criminis conscientiam, seu ex metu depositionis in renuntiaverit; Ita Hostiensis in Summa tit. de Ordinatis ab Episcopo, qui renuntiavit §. Sed quid sit simpliciter; Abbas ibid. num. 8. Reiffensuel ibid. num. 3. Renuntiatio non subtrahit Episcopo Ordinem, sed solum executionem Ordinis; Glossa in citat. cap. Requisivit verb. Executionem; Hostiensis ibidem num. 3. Fagnan. ibidem num. 4. & communis aliorum arg. cit. cap. Requisivit. Nequit enim Episcopus renuntiare characteri episcopali, neque ab ecclesia potest ipsi auferri; unde tamquam indelebile remanet in Episcopo unde excommunicato, heretico, deposito, & degradato, cap. Quod quidem 1. quasi. 1. verb. Si forte militi, cap. Ordinationes 9. quasi. 1. cap. Licite 32. q. 7. cap. Ostenditur dist. 4. de consecr. cum concordantiis. Vid. articulo antecedent. num. 35. Unde Episcopus, qui renuntiat ordini, sed dignitati, potest de licentia Papæ executionem reassumere sine consecratione, sic communis Doctorum teste Fagnano in cit. cap. Requisivit num. 6. ubi ex multis recte observat, quod idem sit renuntiare dignitati, & renuntiare ordini, cum renuntiare ordini sit renuntiare executioni ordinis, vel dignitati, ut communiter Doctores in cap. Post translationem de renuntiatione.

Episcopus, qui renuntiat episcopatu, quoad locum tantum, potest conferre ordines etiam majores, textu expresso in cit. cap. Requisivit 1. de Ordinatis ab Episcopo, qui renuntiavit episcopatu. Dummodo tamen sit rogatus ab aliquo Episcopo, textu expresso in cit. cap. Requisivit. ibi: Rogatus ab Episcopo aliquo poterit de ratione conferre. Aliter si ordinaret sine proprii Episcopi licentia, ab eo ordinati essent suspensi, non quia sunt ordinati ab Episcopo post suam renuntiationem, sed quia sunt ordinati ab Episcopo alieno sine proprii Episcopi licentia; Suarez disp. 31. de censuris sect. 1. num. 3. Pirhing. lib. 1. Decret. tit. 3. num. 3. Reiffensuel ibidem num. 5. Episcopus, qui renuntiat episcopatu quoad locum, & dignitatem simul, nequit licite ordines sacros conferre: cit. cap. Requisivit: & ibi Doctores communiter. Si autem de facto ordinaret, quamvis illicite, valide tamen ordinaret; cit. cap. Requisivit, & ibi communis Doctorum. Et ratio est, quia Episcopus licet poterit renuntiare episcopatu quoad locum, & dignitatem simul, characterem autem ordinis episcopalis indelebilem, sicque potestatem valide conferendi ordines à se abdicare non potuit, cum character animæ à Deo infusus per ministerium hominis deleri, aut auferri non possit; cap. Quod quidam 1. quasi. 1. cap. Ordinationes 9. quasi. 1. arg. cit. cap. Requisivit, & cap. Quod à prædecessore nostro 1. de schismaticis, (Leg. 32. tit. 6. part. 1.) & ibi Glossa, & Doctores communiter, & patet ex dictis supra num. 74. & artic. antecedent. num. 35. Ordinati tamen ab ipso remanent suspensi ab exercitio, & usu ordinum receptorum, donec cum eisdem fuerit legitime dispensatum; cit. cap. Requisivit, & communissima Doctorum sententia. (Vid. leg. 21. § 22. tit. 6. part. 1.)

Episcopi Sacræ Congregationis de propaganda fide subordinati, munia episcopalia extra districtus jurisdictionis sibi ab eadem Sacra Congregatione assignatos exercere nequeunt, etiamsi Ordinatio licentia & facultas accedat, sub pena suspensionis Papæ reservatæ, ex decreto ejusdem Congregationis habitæ coram san. mem. Innoc. PP. X. die 28. Martii 1651: Qui vero contra hujus decreti formam ordinibus fuerint initiati, suspensi declarantur à Sacra Congregatione Episcoporum & Regularium, Decreto edito, die 23. Aprilis 1655. Regest. 35. Ita Macri, Hierolexico verb. Episcops pagin. 259.

82. Cum Ordinatis à tali Episcopo ignoranter ad sacros

ordines dispensat Episcopus stus, cum Ordinatis vero scienter ad Sacros Episcopus non dispensat; cit. cap. Requisivit: & ibi Fagnan. num. 1. testans hoc de communi Episcopus, qui renuntiat episcopatu quoad locum, & dignitatem simul, potest conferre ordines minores, nedum valide, sed etiam licite, si de consensu proprii Ordinandorum Episcopi id faciat, textu expresso in cit. cap. Requisivit, ibi: Quia & hujusmodi ordines à non Episcopis quandoque conferuntur. Si tamen sine consensu proprii Episcopi fuerint aliqui ab ipso ordinati, remanent suspensi ab executione susceptorum ordinum, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire; non quia sunt ordinati ab Episcopo post talem suam renuntiationem, sed quia sunt ordinati ab Episcopo alieno: Unde indigent dispensari à proprio Episcopo, cap. Eos qui 2. de temporibus Ordinationum in 6. cap. Nullus alterius, & cap. Nullum Episcoporum, & cap. Lugdunens. 9. quasi. 2. & Concilii Tridentini sess. 23. cap. 8. de reformation. ibi: Unusquisque autem à proprio Ordinario ordinetur. Si seculo fiat, Ordinans à collatione Ordinum per annum, & Ordinans à susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus, & sic novissime statuit Innocentius VII. in constitutione incipiens. Speculatores Domus Israel: & quod Ordinati ad minores à tali Episcopo debeant dispensari à proprio diocesano Episcopo colligunt ex ipsomet cap. Requisivit 1. de Ordinatis ab Episcopo, qui renuntiavit episcopatu, Vincentius Goffredus, Tancredus, & Fagnanus, qui exponunt litteram ibi, poterit, id est Dispensative. * Episcopi etiam Cardinales residere tenentur; Benedictus XIV. Tom. II. const. 36. incip. Cum à nobis.

Episcopis non licet abesse ab ecclesia per tempora Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes, item & Corporis Christi, nisi forte episcopalia munia in aliis diocesis eos detineant; Idem constit. incip. Ad universæ.

Episcopi post suam promotionem transacto mense ad suam diocesim se conferre tenentur; Idem ibid.

Episcopi ratione visitationis sacrorum Liminum, si præsent ecclesiis citra montes, & citra mare positus, abesse possunt per quatuor menses; Si vero præsent ecclesiis ultramarinis, & ultramontanis, abesse possunt per septem menses continuos; Idem ibid.

Ubi insuper ad præcavendos abusus assignat quæ præcipiuntur Episcopis postulantiibus licentiam abscedendi à propriis ecclesiis causa insalubritatis aeris; & quæ peccatis dictam licentiam aliis causis, & qua forma, & quibus cautelis concedi eis debeat talis licentia, mandans denique, quod Episcopi residentes denuntiati teneantur alios Episcopos non residentes. Videatur dicta constit. incip. Ad universæ: merito legenda, & observanda. * Hic juvat legere, quæ tradit Benedictus XIV. de synodo diocesana lib. 13. cap. 8. d. num. 7. ad q. inclusive, circa moderationem adhibendam in concedenda plurimum episcopatum in una persona coarctatione, inter quæ præstat delibare sequentia.

Verum fel. record. Prædecessor noster Clemens Papa XII. cum sapienter animadvertisset, ex eo quod uni eidemque personæ tot episcopales ecclesiæ permitterentur, eam ab ecclesia catholica utilitatem, quæ sperabatur, minime percipi, ex pastoralis officii sui munere huic rei remedium aliquod censuit adhibendum. Itaque cum vidisset plurimum episcopatum consecutionem, ex earum literarum concessione pendere, quibus eligibilitas indulgetur, cum scilicet hujusmodi Indulutorum vigore, qui unicum habebat episcopatum, & ad alium transire non poterat, nisi per ordinariam postulationis viam, faciliorem exinde semitam sibi aperiret ad aliam ecclesiam assequendam; duo saluberrima decreta edidit; quorum altero, tamquam regula, uteretur impostero Congregatio Consistorialis; altero autem Brevium Secretaria. Hæc typis impressa, quantum scire potuimus, cum nondum fuerint, optimum esse ducimus hic ea inserere, ut perpetua eorum memoria servetur; cum ea plurimum conferre posse putemus, si non ad tollendam penitus, ad saltem cohibendam in Germania immoderatam in una, eademque persona episcopatum pluralitatem.

82. Cum Ordinatis à tali Episcopo ignoranter ad sacros

ordines dispensat Episcopus stus, cum Ordinatis vero scienter ad Sacros Episcopus non dispensat; cit. cap. Requisivit: & ibi Fagnan. num. 1. testans hoc de communi Episcopus, qui renuntiat episcopatu quoad locum, & dignitatem simul, potest conferre ordines minores, nedum valide, sed etiam licite, si de consensu proprii Ordinandorum Episcopi id faciat, textu expresso in cit. cap. Requisivit, ibi: Quia & hujusmodi ordines à non Episcopis quandoque conferuntur. Si tamen sine consensu proprii Episcopi fuerint aliqui ab ipso ordinati, remanent suspensi ab executione susceptorum ordinum, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire; non quia sunt ordinati ab Episcopo post talem suam renuntiationem, sed quia sunt ordinati ab Episcopo alieno: Unde indigent dispensari à proprio Episcopo, cap. Eos qui 2. de temporibus Ordinationum in 6. cap. Nullus alterius, & cap. Nullum Episcoporum, & cap. Lugdunens. 9. quasi. 2. & Concilii Tridentini sess. 23. cap. 8. de reformation. ibi: Unusquisque autem à proprio Ordinario ordinetur. Si seculo fiat, Ordinans à collatione Ordinum per annum, & Ordinans à susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus, & sic novissime statuit Innocentius VII. in constitutione incipiens. Speculatores Domus Israel: & quod Ordinati ad minores à tali Episcopo debeant dispensari à proprio diocesano Episcopo colligunt ex ipsomet cap. Requisivit 1. de Ordinatis ab Episcopo, qui renuntiavit episcopatu, Vincentius Goffredus, Tancredus, & Fagnanus, qui exponunt litteram ibi, poterit, id est Dispensative. * Episcopi etiam Cardinales residere tenentur; Benedictus XIV. Tom. II. const. 36. incip. Cum à nobis.

Episcopis non licet abesse ab ecclesia per tempora Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes, item & Corporis Christi, nisi forte episcopalia munia in aliis diocesis eos detineant; Idem constit. incip. Ad universæ.

Episcopi post suam promotionem transacto mense ad suam diocesim se conferre tenentur; Idem ibid.

Episcopi ratione visitationis sacrorum Liminum, si præsent ecclesiis citra montes, & citra mare positus, abesse possunt per quatuor menses; Si vero præsent ecclesiis ultramarinis, & ultramontanis, abesse possunt per septem menses continuos; Idem ibid.

Ubi insuper ad præcavendos abusus assignat quæ præcipiuntur Episcopis postulantiibus licentiam abscedendi à propriis ecclesiis causa insalubritatis aeris; & quæ peccatis dictam licentiam aliis causis, & qua forma, & quibus cautelis concedi eis debeat talis licentia, mandans denique, quod Episcopi residentes denuntiati teneantur alios Episcopos non residentes. Videatur dicta constit. incip. Ad universæ: merito legenda, & observanda. * Hic juvat legere, quæ tradit Benedictus XIV. de synodo diocesana lib. 13. cap. 8. d. num. 7. ad q. inclusive, circa moderationem adhibendam in concedenda plurimum episcopatum in una persona coarctatione, inter quæ præstat delibare sequentia.

Verum fel. record. Prædecessor noster Clemens Papa XII. cum sapienter animadvertisset, ex eo quod uni eidemque personæ tot episcopales ecclesiæ permitterentur, eam ab ecclesia catholica utilitatem, quæ sperabatur, minime percipi, ex pastoralis officii sui munere huic rei remedium aliquod censuit adhibendum. Itaque cum vidisset plurimum episcopatum consecutionem, ex earum literarum concessione pendere, quibus eligibilitas indulgetur, cum scilicet hujusmodi Indulutorum vigore, qui unicum habebat episcopatum, & ad alium transire non poterat, nisi per ordinariam postulationis viam, faciliorem exinde semitam sibi aperiret ad aliam ecclesiam assequendam; duo saluberrima decreta edidit; quorum altero, tamquam regula, uteretur impostero Congregatio Consistorialis; altero autem Brevium Secretaria. Hæc typis impressa, quantum scire potuimus, cum nondum fuerint, optimum esse ducimus hic ea inserere, ut perpetua eorum memoria servetur; cum ea plurimum conferre posse putemus, si non ad tollendam penitus, ad saltem cohibendam in Germania immoderatam in una, eademque persona episcopatum pluralitatem.

82. Cum Ordinatis à tali Episcopo ignoranter ad sacros